




Vd. 17.  
3.

Contenta in hoc Volumine III.:


44. Cocceii, Henr., Disputatio, in qua ius subtractus exhibetur.  
Heidelbergae 1715.
45. —— dissert. ex iure Nat. et Gent., an traditio necessaria sit  
ad transferendum dominium. Heidelbergae 1715.
46. Schwendendorffer, Barth. Leonh., Disput. de acquisitione  
regalium. Lipsiae 1668.
47. Rivini, Andr. Flor., Disput. de bonis Principis patrimonio  
libus. Lipsiae 1731.
48. Cocceii, Henr., Disput. de auctio regio. Heidelberg. (1673) denuo  
recusa 1700.
49. Kayser, Dr. Frid., dissert. de iudicis pacis in Imp. Rom. Ger-  
manice. Giessae 1747.
50. Ludewig, Dr. Petr., dissert. de differentiis iuris Romanii et  
Germanici in venatu eiusque regali. Halae 1730.
51. Hegelii, Iosph. Henr., comment. de officio magistri Pellarum.  
Tubingae 1755.
52. Spanieri, Car. Frid., dissert. de iure fisci civitatibus municipalibus  
competente. Lipsiae 1742.
53. Gehler, Joh. Aug. Otto, et Gottl. Christ. Grenz de inspectione suprema  
in societas occultas prudenter exercenda commen-  
tatio politica. Lipsiae 1756.
54. Schroeter Joh. Christ., de auctio regis conventionalibus serenissimae  
Denuo Saecniae. Jenae 1720.
55. Zoller, Frid. Gottl., dissert. de iure cauponarum bannistarum.  
Lipsiae 1769.
56. Kapff, stat. Jac., russisch Nederlandsche dat Fragn, ob  
In r. Corf zu den Regalium gesezt. Tübing. 1767.
57. Werthof, Joh., de alienatione et concessione iurium, quae  
vocari solent Regalia, dissertation. Helmstadii 1757.

58. Francke apud, Bac. Aug., disserit. de usu albinagii in  
Germania. (Lipsiae 1719.) recusa 1731.
59. Daege noster, Car. Matth., disserit. de abuso, qui circa prae-  
stationes rusticorum plerumque occurret. for-  
let. Lipsiae 1731.
60. Skeuuning, Christ. Henr., specimen continens caput  
iustis controversiarum metallarum de pecunia recessu  
ali seu canone trimestri de metalli solidinis  
solvendo. Lipsiae 1766.
61. Wiesand, Georg. Steph., de censi capitis. Lipsiae 1765.
62. Wildriegel, Christ., disserit. de negligentia ministri prin-  
cipem non obligante. Detrac 1754.
63. Heynic, Christ. Gottl., disserit. de Bernhardo Duece Saxoniae.  
Lipsiae 1763.
64. Haeberlein, Franc. Domin., disserit. de austraegis gene-  
ratim nec non de iure austraegarum L. P. I. lib.  
civit. Ullmanac specialium. Helmstadii 1759.









52  
DE  
**SIEFFERGESSOFFE**  
SVPREMA IN SOCIETATES OCCVLtas  
PRVDENTER EXERCENDA  
**COMMENTATIO POLITICA**

---

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
D. XXVII. MENSIS MAII MDCCCLXXXVI.  
PVBICE DEFENDENT  
**M. IOANN. AVGUST. OTTO GEHLER**  
IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREVS  
ET  
GOTTHELTE CHRISTE GRENZ  
DRESDANVS  
LEGVM CVLTOR.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA IACOBÆERORVM.



SCARUM ET PRAECEPS  
CATO C. 1700, P. T. M. 1700, P. T. M.  
C. 1700, P. T. M. 1700, P. T. M.  
ACITIUS C. 1700, P. T. M. 1700  
C. 1700, P. T. M. 1700, P. T. M.  
C. 1700, P. T. M. 1700, P. T. M.  
C. 1700, P. T. M. 1700, P. T. M.

PATER CARISSIMO  
IOANNI CAROLO  
GEHILER

MEDICINAE DOCTORI

PATHOL. P. P. ORD. FAC. MED. ASSESSORI ACAD. DECEMVIRO  
COLLEG. MAI. PRINC. PRAEPOS. MIN. SODALI. SOCIETAT.  
OECON. LIPS. MEMBR. HONOR. CIVIT. LIPS.  
MED. OBSTETR.

ОМСКАЯ ГРЯДА  
НОВАГО ЧИТАЮЩЕГО  
СЧИТЫВАЮЩЕГО

ПРОСТОРЫ СИБИРИ  
СИБИРСКАЯ ПРОСТИРЬ ВОСТОКА ИЗДАНА  
ТАКИХ РУКОВИДИМЫХ СИБИРСКИХ ДАГ ОДНО  
СИБИРСКОГО ЧИТАЮЩЕГО СЧИТЫВАЮЩЕГО  
СИБИРСКОГО ЧИТАЮЩЕГО СЧИТЫВАЮЩЕГО

P A T E R  
D I L E C T I S S I M E

*C*on si libellus nunc in lucem emitendus vix singulari nomi-  
nis **T V I** inscriptione egeat, cum omnia, quae a filio tam  
singulari patris cura et amore ornato preferuntur, patri  
magis quam filio propria esse videantur, tamen ipsa rerum

M A E  
D I L E C T I S I M E

mearum ratio me iubet, primum hoc specimen meae doTrinae,  
si qua mibi est, **T I B I** praeprivis sacrum dicare, non quidem  
propterea, quod aliquo elegantiae cultu commendabile mibi  
visum sit, sed ut mibi, primum in lucem adspicimusque eru-  
ditorum prodeundi, **T V I** nominis auctoritas auxilio sit. Acce-  
dit, quod et nullam mibi contingere posse existimauit occasio-  
nem aut meliorem aut magis opportunam, qua aliquid meae  
**i n T E** pietatis specimen publice edere possem. Inde enim a  
primo vitae initio singularem **T V V M** et sere incredibilem amo-  
rem, curam, et benevolentiam tot tamque variis modis sum  
expertus, vt frustra conarer singula **T V I** auctoris monumenta,  
quorum tot tantaque extare voluisti, non dicam complecti elo-

quendo

quendo, sed percepsere numerando. Pro quibus, si gratias  
cumulate satis atque ornate **TIBI** agere susciperem, nisi vi-  
tae, certo orationis angustiae vix mibi sufficerent. Itaque qui  
sum, totus sum **TUUS**, et si quid boni ex meis studiis sperau-  
dum, id omne **TIBI** tribuendum, sin minus, mibi soli impu-  
tandum, et in eo filii tanto patre indigni inertia vituperanda.  
Ad hanc quidem **TUAE** favoris specimina, si quid adhuc potest  
accedere, id eo potissimum fieri posse **TIBI** persuasum velim  
habeas, si sereno animo vultuque hanc **TIBI** a me oblatam  
scriptiunculam acceperis. Caeterum me et in posterum bene-  
volentiae **TUAE** fountium recreandumque trado, et unum hoc  
a summo numine sincerissimis precibus contendeo, ut **TE**, et


Matri

Matri meae dilectissimæ, et fratri dulcissimo, et mibi, et  
omnibus TVIS, quorum ut valeas tanti interest, quam  
diutissime seruet, ac TVAS rationes maxime sibi habeat  
commendatas

PATERNO TVO NOMINE

addicissimus filius  
Ioannes Augustus Otto Gehler.

PROOE.



## PRO O E M I V M.

Fata arcanae illius societatis, quae liberorum murariorum ordo  
vulgo appellata, per plura secula vna eademque sub varia fortuna  
stetit, et hic illic dispersa, mox publica auctoritate sustentata, atque  
probata, mox tenebris tecla, occulte mysteriorum curam atque san-  
ctitatem seruavit, recentioribus in primis diebus omnium oculos in se  
conuersisse videntur. Solent enim ephemeridum publicarum et com-  
mentariorum scriptores noua cognoscendi studiosos eo in primis alli-  
cere, ut diligentius discentiant ea, quae ad illam societatem suppri-  
mendam, aut ad singulas eius familias delendas a nonnullis Germano-  
rum et exterarum nationum principibus vel sunt facta, vel adhuc  
facienda necuntur. His quidem optime rebus suis consuluisse viden-  
tur. Est enim ea animi humani natura, vt maxime delectetur rebus,  
quae nouitatis vel mysterii speciem praeseferant, iisque singularem  
tribuat gravitatem atque sanctitatem, nec facile tanti momenti esse  
existimet id, quod ab omnibus potest cognosci. Omnia enim, quae  
densa nube obvelata a profanorum manu intacta seruantur, ita vt  
non nisi initiatis ad ea adspirare liceat, vel eximiam prauitatem,  
atque scelera nefanda polluto gremio celare arguuntur, vel sum-  
ma vitae humanae bona et eximiae felicitatis adiumenta continere  
creduntur. Quod quidem mysteriorum et arcanorum studium omni-

A

homini

2

hominum generi omni tempore infedisse et proprium fuisse satis luculentier historia docet. Fuit apud veteres maxima Eleusiniorum et aliorum mysteriorum auctoritas, \*) quorum sub denso velo summa cum pietate profanus quisque venerabatur ea, quae fortasse ne leui quidem adspectu digna censuisset, si omnium oculis patuerentur. Neque e philosophorum scholis arcanorum ac mysteriorum studium omnino erat exclusum, neque ullam vir quam religionem ab his puram solis fanae rationis praeceptis instituisse videamus. Videtur vero nostra aetas in proclivitate ad res mysteriarum plena longe superare prisina tempora. Vix enim illa aetas tam foecunda in hac re fuit, ac tot ac tam varia genuit societatum arcanarum genera, quae sub variis nominibus hinc inde deprehenduntur. \*\*) Cum vero abundet hominibus, qui dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignauiam aceratem agentes, mores depravatos, corpus mollitia debilitatum, et mentem voluptatum illecebris infuscatam habeant, superstitionis et prodigiorum studii incrementum, non est quod mireris. Aequali divitiarum, gloriae, sapientiae, dignitatum cupiditate omnes agitantur, cui, qui honesto modo satisfacere propter nimiam inertiam et imbecillitatem nequeunt, arcana artibus se omnia illa absque ullo negotio et labore consequi posse sibi persuaserunt. Hacc ipsa quidem animi humani propensio efficit, ut nostris temporibus vix reperiatur, qui non diligentius animum attendat ad varias illas turbas, quibus arcanarum societatum rationes hinc inde vexantur. Abeunt omnes in varias partes, et ea fata societatibus vaticinantur, quae maxime conueniunt cum eo, quod ipsi de iis sentiunt. Vatis nimium personam gerentes, iudicis induunt. Sic, qui alto illo silentio offenduntur, quod societatis mysteria premit, et inficii atque ignari omnium eorum, quae finem et naturam eius attinent, boni nihil ei inesse arguant, iam

omnem

\*) circ. de leg. I. II. c. 14.

\*\*) vid. *Berliner Monatschr. Oktbr. et Novbr. 1785.*

omnem arcanorum ruinam et finem instare gloriantur, laetoque vul-  
tu praesagiant. Illi contra, qui bonis et laudabilibus illis institutis  
delectantur, quibus haec societas optime saepius de republica et ho-  
minum solute merita est, honesto fini, quem ei tribunt, sauentes,  
vel doleat tristes turbas quibus vexatur, vel ex iis haud aliud quid  
expectant, quam hoc, ut destruetis iis familiis, quae a natura instituti  
nimium aberraueint, institutum ipsum quasi a coeno et luto purgatum  
nouo fulgore ornatum prodeat. Quorum dissensui ut aliquo modo  
nos immisceamus, neutquam a nobis impetrare possumus. Attamen  
vero occasionem nobis praebuit, ut paulo diligentius cogitaremus et  
accuratius perpenderemus naturam et iura omnium arcanarum socie-  
tatum, quae ita essent comparatae, ut nec finis nec interna earum  
forma in publicum promanaret. Hac in re non potuit non quaestio  
haec vel illa nobis occurrere, quae nexus atque coniunctionem eius-  
modi societatum cum ciuitate, et principe ciuitatis spectet. Cum  
vero in his multa reperiremus singularia, quae longe lateque aber-  
rarent a natura reliquarum societatum et congregationum in ciuitate  
versantium, haec pro virium et ingenii nostri tenuitate paulo dili-  
gentius explorare, et iterum iterumque pertractata, qualiacunque de-  
mum sint, singulari libello proponere, nec a natura negotii a nobis  
suscepti, nec a temporum ratione alienum esse existimauimus. Prodeat  
itaque libellus, non sine aliquo timore animique haesitatione elab-  
oratus, quam in eiusmodi labore, in quo primas vires experiri  
contigit, iuuenili animo nec deesse laudabile, nec adesse turpe put-  
tandum est. Prodeat libellus, qualiscunque est, in conspectum viro-  
rum doctissimorum, qui in perlegendendo eo unum hoc secum quæso  
perpendant, mihi, cum ad scribendum me accingerem, animum non  
frisse, alios noua docere, sed potius aliorum emendatione atque cor-  
rectione doctiorem fieri.



Conditionem atque iura societatis, cuius finis et natura occulta est, mecum perpendenti atque animo voluenti, vna praesertim quaestio se, obtulit cuius accurata discussio multum utilitatis praebere videatur. Erat vero quaestio haec: Vtrum sit principis officio sibi incumbenti satisfacturi, societatem in ciuitate tolerare cuius internam formam ignoret, an potius, tollere eam atque dissipare? Hanc quidem quaestionem pro virium tenuitate explorare sequentibus pagellis studuimus.

---

### §. I.

#### *De iure supremae inspectionis quedam in uniuersum.*

**P**rinceps ciuitatis hunc quoque in finem maiestate summa et inribus eminentioribus, quae huic adhaerent, ornatus est atque instrutus, ut, quae saluti omnium conuenire, et finem societatis civilis promouere videntur, et accurate perpendere, et commode eligere possit. Haec legibus et aliis quibuscunque modis et institutis suadere atque curare, ea vero dissuadere et impedire tenetur, quae fini ciuitatis noxia esse cognoverit. Quomodo vero haec fieri possint, non facile intelligo, nisi accuratam semper habeat cognitionem eorum, quae quovis tempore in ciuitate obueniunt, et rationes salutis publicae tangunt.<sup>\*)</sup> Est itaque ius supremae inspectionis tam arcte cum reliquis iuribus maiestatis coniunctum, et maiestati ipsi tam firmiter adhaerens, ut vix ab ea separari queat, nec princeps facile cogitari posset, qui vniuersae reipublicae salutem bene curet, nisi tam rationes vniuersae ciuitatis, quam mores subditorum et singularum partium habitum sciat.<sup>\*\*)</sup> Versatur itaque suprema inspectio tam circa res

quae

<sup>\*)</sup> FÜTTERI instit. I.P. §. 216 seq. ACHENWALL. I.N.T.H. §. 113 et 119.

<sup>\*\*) SCHEIDEMANTELS *Staatsrecht nach der Vernunft* Tb. I. p. 149 seq. et MARTINI *Lehrbegriff des Natur-, Staats- und Völkerrechtes* Tb. III. §. 95.</sup>

quae sunt ciuitati, quam circa subditos eorumque rationes, qui vitam in ea degunt; et competit principi ius videndi atque cognoscendi ea, quae sunt ab unoquoque, et quae vitam, bona, atque mores eius respiciunt, quatenus aliquo modo ad finem societatis civilis, et salutem reipublicae referuntur. Quae cum ita sint, facile apparet, singulos quoque ciues, quorum unusquisque pro viribus suis communem ciuitatis finem promouere tenetur, omnia ea, quae hunc finem aliquo modo vel promoueant vel impedian, detegere, et ab omni celandi studio abstinere debere.

### §. II.

#### *Suprema inspectio praesertim circa societas exercenda.*

Non solum vero aetatem, numerum atque rationes singulorum subditorum disquirere potest princeps ciuitatis, sed praeceipue animum attendat necesse est, ad societas priuatas, et congregations, quibus singuli ciues se iungunt. \*) Vnaquaeuis enim congregatio singulorum, quos vel fortuitus casus, vel pacta et sanctiones iungunt, aliquo modo pertinet ad salutem communem, eique vel e propinquo vel e longinquo tam obesse potest quam prodeat. \*\*) Cum enim coniunctione singulorum vires crescant, et quae vix ac ne vix quidem a singulis absolui possint frustra exhaustis viribus, ab iisdem coniunctis, et altero alterum adiuuante facilime perficiantur; facile appareat, ex eiusmodi societatis, uti plus utilitatis sperandum, ita plus damni metuendum esse. Est igitur principis de communi omnium salute, et de eo, vt officio bene fungatur, solliciti, summa cum diligentia curare atque efficere, ne e societatis, congregatis, ac coniunctionibus singulorum ciuium, detrimenti aliquid capiat respublica.

### A 3

### §. III.

\*) PÜTTER. c. I. §. 219. et GUNDLING I. N. c. XXXVI. §. 91.

\*\*) SCHEIDEMANTEL c. I. et Th. III. p. 244. et MARTINI c. I.



## §. III.

*Quae noxiae esse possunt,*

Neminem enim in historia rerum gestarum tam hospitem atque peregrinum esse putamus, quin sciat, quanta saepius ex coniunctione hominum insimae plebis atque conditionis enata sit calamitas ac perniciies, quorum coniurationes magnas interdum regiones vel turbabant, vel penitus euerterunt. Itaque in civitate bene instructa non facile toleratur societas ac probatur, nisi sit a superiore vel diserta legē confirmata, vel tacito consensu probata, congregations vero privata auctoritate conuocatae, et pro lubitu, vel occulte collectae, dissipantur, quidquid interdum membra earum poenis multisque coercentur. Quae quidem principia, ab omnibus illis populis, quos legislatione aliis praestare censemus, agnita esse videmus, quid quod ipsi Romani, quorum eximiam in legib[us] ferendis prudentiam atque sapientiam nostri legumlatores praeprimis secuti sunt, *i. i. ff. de colleg. et corp.* diligenter cauerunt, ne praetores prouinciarum spontaneas subditorum congregations tolerarent, quas maxime saluti et tranquillitati reipublicae infestas esse existimauerunt. Nec ab iis societatis, quae consensu superioris subsistunt, omnis cura et vigilantia supremae inspectionis auerti debet; potest enim et id, quod ab initio bonum et laudabile fuit, temporum diuturnitate mutari et in perniciem deflecti. Itaque quae singulorum rationes regi supreme inspectio, praeprimis prospicere debet, ne instituta et coepta societatum priuatarum degenerent, et detrimentum afferant saluti publicae.

## §. IV.

*Saepe tamen sunt utilissimae reipubl.*

Quemadmodum vero virium coniunctio societatibus et copiam et potestatem tribuit reipublicae tranquillitatem et securitatem turbandi, sic quoque eas aptas reddit et idoneas non solum priuatorum saluti

salutis vario modo augendae, verum etiam sibi societatis civilis  
 communis promouendo, ita ut singulorum studia non facile tot  
 tantumque secum ferant et delectationis et utilitatis, quantum ex so-  
 cietatum coniunctione sit sperandum. Est enim studium familiarit-  
 atis omnium hominum generi ab ipsa natura datum atque innatum,  
 quo aequali modo omnes agitantur atque reguntur, ita ut nihil  
 ardentius desiderare videantur, quam habere quibuscum omnia com-  
 municare possint, et nihil ferant aegrius quam solitudinem. Cui  
 quidem hominum ad socialem vitam propensioni pristina rerumpu-  
 blicarum forma magis fuit accommodata quam hodierna. Cum  
 enim omnis amor mutuus, benevolentia atque consensio, ex qua  
 plurimum delectationis percipitur, non possit esse nisi inter paucio-  
 res, nostrarum vero ciuitatum rationes in immensum fere creuerint,  
 facile apparet, hominem, ut animi optatis et desiderio satisfacere  
 possit, paucorum familiaritate vti debere. Sic quidem variae oriun-  
 tur coniunctiones atque societates, quae, vti hominum naturae maxi-  
 me accommodatae, ita ciuitati saepe sunt utilissimae. Neminem  
 vero rerum gestarum tam ignarum mihi fingere possum, qui putet,  
 omnia ea, quae extra commercium vniuersae reipublicae sunt posita,  
 et inter pauciores tantum subsistunt, esse superflua, et a via ad felici-  
 tatem consequendam aliena. Superfunt enim alia vitae beatae praef-  
 sidia quam plurima, quae sola ciuitatis natura praebere non potest,  
 et quibus omnino careret is, qui ea in singulorum vel paucorum  
 coniunctione querere alienum a se putaret. Quae quidem ciuitum  
 coniunctiones, ad communem, extra ciuitatis naturam iacentem,  
 finem consequendum, iuvant atque confirmant quasi negotia totius  
 ciuitatis, non itaque excludendae e republica bene conformata, nisi sine  
 saluti communi aduersae, sed potius seruandae, souendae, et tuendae  
 a sapiente principe, quoniam in eundem, quo ciuitas spectat, finem  
 tendunt, nempe ut vita humana felicior, beatior, et dulcior red-  
 datur.



datur. \*) Itaque vix ullam repieres ciuitatem bene institutam, in qua, extra illud vineulum quo omnes tanquam ciues et subditi negliguntur, non sint plures ac fere innumerabiles societas singulorum, quae vel hoc vel alio modo indigentiae ac necessitati reliquorum occurunt. Constat inter omnes, quanta hominum generi ex studiis societatum literariarum, oeconomicarum et aliarum enata sit utilitas, quae vel docendo vel inueniendo, vel delendo, atque eruendo opiniones praejudicatas optime ac praecclare de reipublicae salute sunt merita. Quis ergo est, qui imprudenti atque nimis festinato iudicio omnes singulorum ciuium coniunctiones damnare, aut inutiles et ciuitati noxias declarare velit. Quis crimine accusare potest eum, qui socius eiusmodi societatum esse cupiat, et earum studiis interesse optet.

#### §. V.

##### *In exercenda suprema inspectione cautiones quaedam adhibendae.*

Ex his satis, ut opinor, appetet, superiorem ciuitatis summam eo impendere debere curam, ne iure supremae inspectionis, qua pollet, ad detrimentum magis reipublicae quam ad eius salutem vultur. Curandum est, ne vel nimia indulgentia societas ciuitati noxae orientur, vel nimia severitate eae delectantur aut impellantur, e quibus respublica utilitatem possit capere. Sunt igitur fines prescribendi atque termini, intra quos ius supremae inspectionis exercetur, et diligenter curandum, ne summa potestas limites transgrediatur, et in tyrannidem abeat, omnemque subditorum libertatem supprimat. Liceat mihi, quatenus instituti ratio postulat, e multis nonnullis hic paucis indicare errores atque deuia, quae in supremae inspectionis nimis curioso exercitio praeprimis euitare suadet prudenter, ut tam singulorum, quam societatum rationes sint incolumes.

Eadem

\*) SCHEIDEMANTEL Th. III. p. 291 seq.

9

Eadem enim hic valent de societatibus, quae de singulis, et neminem fugiet, illas personae mysticae habitu gaudere, earumque iura in plurimis rebus ad hanc legem esse diuidicanda, \*) habitu hoc uno discrimine, quod in societatibus, quippe quae plus valent, plus etiam adhibendum sit curae atque diligentiae.

§. VI.

1) *Ne cogitandi et scribendi libertas nimis coerceatur.*

Ante omnia curandum est, ne sub titulo supremae inspectionis libertas cogitandi et scribendi magis coerceatur, quam natura ciuitatis eam coerceri postulat. Libertatis enim in vniuersum omnium omni tempore aequalis fuit et cura et studium, quae, si in ciuitate omnino supprimeretur, profecto vix esset, qui in ea viuere vellet. Quilibet itaque, et si in ciuitate et commercio ciuium, sub legum auctoritate atque potestate vitam degens, libertatem a natura sibi concessam catenus coerceri facile patitur, quatenus ciuitatis natura hoc postulat, retinere vero eam manuult in omnibus iis rebus ac negotiis, quae ad publicam salutem non referuntur, nec in his vlla vi aut iussu superioris prohiberi vult, quo minus ingenio suo indulget. In his ipse sibi vult pro arbitrio leges ferre et ab iisdem se soluere, nec superiorem agnoscere, ita quidem, vt prudentis sit principis, non nisi urgente communi reipublicae necessitate deminuere aliquid et detrahere ab ista ciuium libertate. Haec ab ipsa natura proueniens libertas praeferunt se prodit in omnibus iis rebus, quae mente et cogitatione interna voluntur atque percipiuntur. \*\*) Non enim fert hominis natura, vt legibus ei praescribi possit, quid sentire, perspicere, credere,

\*) GUNDLING I. N. c. XXXVI. §. 91.

\*\*) SCHEIDEMANTEL c. I. Th. II.

■ ■ ■ ■ ■

dere, vel opinari debeat. \*) Omnia quidem haec ab ingenii indole, naturae propensione, institutionis forma, et animi ratione pendent, et superiorem agnoscunt neminem, legibus subsunt nullis, ita, ut, qui praecepsit ac legibus haec regere aut mutare conati sint, hominum naturae immemores, ab ipsa sanatione discessisse, et parum aut nihil efficientes operam omnem perdidisse videantur. Itaque omnis vis, quae cogitandi libertatem coercere minabatur, hominibus omni tempore adeo fuit iniusta, ut saepius vitam sibi eripi, quam cernicem tali iugo subiici maluerint. Cuius rei, vexationes ex perverso religionis studio atque falsa pietatis specie proutientes, exempla nobis suppeditant luculentissima. Docet quoque sana ratio, tum demum opiniones hominum pertinere ad supremae inspectionis obiecta, cum facinore se exserunt, et in publicum prodeunt. Solent quidem actiones hominum regi interna animi persuasione et opinione, et omnino reipublicae multum interesse videtur, ne in subditorum animis nutriantur opiniones saluti publicae aduersae. Itaque curare potest superior, ut ciuibus praebat ut occasio recta atque vera cognoscendi, et bene instituta doctrina ingenium acuendi, atque animi indolem ita formandi, ut bene de salute publica sentiatur, cique faueatur. Expellendi quoque sunt e ciuitate, qui, male se de eius salute sentire, factis declararunt, sed iis non haec exilio est causa; quod peruersa opinio animis eorum infudit, sed, quod factis eam declarauerunt. Neutquam enim reipublicae ratio suaderet ciuitum merita metiri ex opinionibus, et cogitandi ratione, sed ex factis. Nec facile princeps, cui aequitatis ac iustitiae pracepta cordi sunt, illum exilio mulctat, qui sententiam vel finiae rationi vel saluti publicae aduersamente souet, nisi eandem factis declarauerit, et in publicum prodire passus fuerit, potest enim de his tantum certior fieri, quae vero

\*) GOTTER, ACHENWALL. I. N. T. II. §. 134; et GUNDLING I. N. c. XXXVI. §. 80.

vero unusquisque pectore premit, nec scire potest, nec in ea inquirere fas est. Videtur hoc quoque proceribus reipublicae maxime commendandum esse, ut ei scribendi et omnia in lucem edendi studio, quod recentioribus temporibus plus quam olim exarsit, faueant, nec illud limitibus nimis angustis coereant. Oriuntur enim ex eo commoda magna ac permulta, cum vel ad mala occulte repentina cognoscenda, vel ad errores et vitia hinc inde versantia detegenda, vel demum ad ciuium ingenia acuenda et colenda, aptum sit et idoneum. Ex quo enim tempore scribendi libertati clementius principes indulgere coerunt, ingenii quoque vis et acumen sensim paulatimque laetius effloruisse et maiora in dies incrementa cepisse videtur. Quae quidem commoda longe superant perniciem atque detrimentum, quod ex nimia scribendi rabie vel instat, vel instare nonnullis videtur.

### §. VII.

#### 2) *Ne inquiratur in ea, quae non pertinent ad finem et salutem reipublicae.*

Cum vero iura maiestatis, quorum singularis species suprema in specie est, ob hanc tantummodo causam superiori ciuitatis adhaerant, vt finem ciuitatis possit promouere \*), appareat, eos quoque hoc praeclaro iure abuti, et libertatem subditorum laedere, qui supremæ inspectioni ea vindicare affectant, quae non pertinent ad ciuitatis finem, eique nec prodesse nec obesse possunt. Hi enim limites potestatis, qua sunt ornati, transgredi, et dishonestae curiositatis reos se facere videntur, quas polluit dignitatem maiestatis, eamque dedecorat. Itaque, vt ius supremæ inspectionis recta ratione exerceatur, necesse est, vt, qui eo vitetur, hoc vnum animo suo infigat atque insculpat, se tum tantummodo iure suo agere posse ac debere, cum salutis publicae ratio hoc suadet et postulat. De his tantummodo

\* ) PÜTTER, instit. I. P. §. 216. ACHENWALL. c. I §. 113. et 119.

est iudicandum, eorumque cognoscendi copia est exigenda, quae ad finem societatis ciuilis, et ad communem omnium salutem aliquo modo spectant, in reliquis omnibus huic potestati locus non est. Inde apparet, omnia ea, quae ad negotia subditorum priuata, ad arcana mentis et familiae pertinent, aut quae eo modo fiunt, vt inter priuatos cuiusque lares subsistant, et secreta vel singulorum vel familiarum attineant, non subesse inspectioni supremae \*), et ad talia reuelanda cogi debere neminem. Nefas enim esset, et speciem haud leuem tyrannidjs praese ferret, si princeps suae dignitatis immemor, secreta priuatorum intraret, eorum scinia aperiret, scripta atque litteras euolueret, et hoc modo ea cognoscere fluderet, quae cognoscere ciuitatis nil interest. Occurrere quidem potest casus interdum singularis, qui postulare videtur, vt secreta priuatorum inspiciantur, vbi nempe haud leuis suspicio orta est, aliquid detrimenti aut periculi a priuatis saluti publicae metuendum esse, sed et tum caute verfandum, et summa adhibenda est cura, ne morbo imminentि occurras remedio adhuc pernicioſiori, neue quod malum debet tollere, plus mali afferrat. Exemplis res clarior fiet. Notum est omnibus, quale fortunae et rei familiaris periculum adeant ii, qui rabie illa infasta ac infelici agitantur, vt in alea sortium quaestum facere studeant. Finge vero, principem, vt caueat atque impedit, quo minus subditii aleae sortium apud vicinos toleratae pecuniam committant, tabellariis publicis et ministris cursuum publicorum potestatem tribuere, litteras iis commissas aperiendi, nonne malo atroci obuiam iret medicina etiam atrociore? Eodem modo is, qui arcanum possidet, quo omnem morborum vim frangi posse iactat, cogi nequit, hoc omnium cognitioni tradere, et nefas esset vi ei eripere id, quod omnibus fortasse posset prodesse. Quae vero de singulorum, ea quoque de societatum arcanis valent, earum enim natura et interna institutio catenus

tantum-

\*) PÜTTER, c. I.

tantummodo subest supremae inspectioni, quatenus interest ciuitatis eam cognoscere. Itaque in his in unum hoc inquire potest princeps, utrum contineant aliquid, quod repugnet aut detrimentum aferat saluti publicae eiusque fini, reliqua omnia nihil ad eum attinent, et iure suo vtitur societas, quae reliqua omnia aperire atque reuelare recusat.

### §. VIII.

#### 3) Ne princeps nimis sit ad suspicionem propensus.

Videntur quoque si abuti iure supremae inspectionis, et quodammodo molesti esse libertati subditorum, quorum animus leui suspitione turbatus nimis facile exardescit. Videndum enim est atque caendum, ne suprema inspectio aequali modo moueat metu eorum, quae fieri possunt, atque eorum, quae vere sunt. Nihil enim in omni rerum natura est aut bonum aut utile, quod non aliquo modo abire possit in malum ac perniciem. Hic regula notanda satis vulgata — quemlibet praesumti bonum, donec probetur contrarium. — Ex hominis enim sagacis atque prudentis, reliquos calliditate et subtilitate ingenii antecellentis conatibus, ut plus utilitatis, ita plus quoque detrimenti ac perniciet metuendum esse, nemo ignorat, nihilominus tamen male consideret reipublicae princeps, qui omnes praeclaras ingenii indole praeditos ciues expellendos atque efficiendos ei ciuitate censeret. Abhorret profecto a nostrae aetatis cultura talis timiditas atque suspicio. \*) Sunt enim principes nostri auctoritate ac potentia satis tuta, exercitus perpetui praesidio muniti, solentque in hodierno isto publice quam plurima proferendi studio, celerrime moneri et certiores fieri de omnibus, quae in ciuitate aguntur, ita, ut vix hodie regnorum

B 3 d'orafino cuer.

\*) Contra nimiam principum suspicionem egregie differuit, eamique nostrae aetati male accommodatam esse docuit GARVE vid. Berl. Monatschr. Jul.



euersiones et maiestatis turbationes iis extimescdae videantur. Cui vero imperio Aristocratiae forma est, ei non tanta securitas esse videatur atque Monarchiae, quare et Venetos suspicione alios populos superare videmus. Nec e societatum conatibus multum vereri nostrae reipublicae forma patitur. Est enia ea ciuitatum nostrarum natura, vt unusquisque vel dignitate, vel munere, vel sodalium familiaritate, vel cognatorum necessitudine arctioribus vinculis continetur cum republica et ciuitate, quam cum sociis. Ciuitati enim vel ipse, vel ii, quibuscum coniunctus est, omnia debent, quae sunt, quaeque habent, ita, vt societatis salutem, quae vix ei tam propinqua esse potest, non facile reipublicae praesferre possit, in cuius felicitate suam ipsius positam censeat necesse est. Accedit, quod societas inter paucos subsistens, propter imbecillitatem, magna vero et vnde propagata, propter laxiorem nexum et leviorum coniunctionem, saepissime sua sponte collabatur, ideoque non tantopere sit metuenda. Cum vero iam superioribus pagellis docuerimus, quae sit ex societatum laboribus ad promouendam et stabiliendam publicam salutem utilitas speranda atque capienda, alienum profecto esset a principis bene de re publica meriti prudentia atque iustitia, congregations subditorum nulla urgente necessitate turbare, aut vano timori usque adeo indulgere, vt importuno et nimis curioso studio secreta corum cognoscendi, impedimentum iis obiciat, quo minus eam utilitatem ciuitati praestent, quam praestare possint. Saepius enim accidit, vt principes praeoccupata opinione, maloque praciudicio decepti, tyrannorum personas induerent, et summa crudelitate in eos faeuirent, qui maxime saluti publicae viles erant. Quam quidem nimis festinatam seueritatem, nisi ipse princeps, quod haud raro accidit, certo tamen res publica, ciibus optimis orba, luxit. Eiecit Hispania Iudeos, Mauros et reliquos, qui Pontifici Romano male fauabant, cuius quidem exemplum secuta est Gallia. E Polonia dissidentes expulsi sunt, nec,  
quod

quod recentioribus temporibus in terra Salisburgensi factum est, ullum fugiet.<sup>\*)</sup> Constat vero inter omnes, his nimis acceleratis ciuium assiduorum ac usum vexationibus factam esse, quod non solum terrae antea florentes devastarentur, et in deteriorem culturae conditionem submergerentur, verum etiam vicinorum regna, quae exules hos libenter et sapienter recipiebant, antea minus culta nunc fulgeant bonis ditata, incolis frequentata, et artibus atque litteris ornata, quot tandem eosque peruererunt, ut fructibus omnibus diligentiae ac industriae abundarent, illis interea egestate laborantibus. Itaque curandum, ne vel singuli homines vel societates turbentur aut impedianter, nisi urgente necessitate. Tum vero vrget necessitas, si adeat suspicio, eaque grauis, nec ex vano spectrorum metu orta, quae ab eiusmodi societatibus reipublicae caendum esse signifiet. Caute igitur circumspiciat suprema inspectio, et facta, et instituta, et mores, tam singulorum quam societatum, quatenus fieri hoc sine earum molestia potest, nec ciues ab eorum communione arrebat, nisi eas ita comparatas esse cognoverit, ut detrimentum reipublicae inde sit metuendum. Quodsi vero talia non reperiantur, boni prae sumendi et singulus quisque, et societas, et a vano, nusquam fundato timore est abstinentium.

### §. IX.

4) *Ne modo minus apto cognoscere studeat, quae in ciuitate aguntur.*

Refiat quartus error, quem in exercendo supremae inspectionis iure, eti raro, interdum tamen proceres errare solent, qui quidem in eo consistit, quod malo adhibito interdum<sup>\*\*)</sup> ac minus apto modo principes cognitionem eorum consequi student, quae inter subditos sunt. In quibus quidem cognoscendis et emendandis abstinen-

dunt

<sup>\*)</sup> vid. ACHENWALL. *Gesch. der europäischen Staaten, und PÜTTERS Handbuch der teutschen Reichs-Historie* Ed. II, pag. 1089.

<sup>\*\*) SCHEIDEMANTEL c. l.</sup>



dum est ab omni vi, quae ad inquirendos et corrigendos subditorum mores adhiberi possit. Serui quidem fustibus atque verberibus solent impelli, ut ordinem et disciplinam seruare discant, fides vero, virtus, pietas, fortitudo, corporis atque animi intentio in iis tantum quaerenda, qui libertatis et honestatis studio reguntur. Repugnat enim hominum naturae, eos vi cogere, ut sint sapientes. Solet vero vi hoc potius effici, ut animus fiat pertinax et obstinatus, et quasi fanatico furore incensus eo ardenter ruat in id, a quo debebat repelliri. Itaque consultias auctum videtur, si docendo, suadendo et tolerando tempori commendetur id, quod vi frustra tentatur. Nec hoc principibus commendandum esse videtur, ut viros constituant eadem potestate ornatos, qua possint Hispaniae quaestores, qui ciues die nocturne auscultare, suspectos prouocare, eorum cogitata, priuata negotia, et arcana domus extorquere possint. His enim ingenium atque indolem nationi propriam corrumpi et depravari, Hispaniae annales demonstrant. Solet interdum quoque fieri, ut ii, qui regionibus intra angustos fines inclusi praeſunt, speculatoribus et exploratoribus subditos circumdant, qui fungi inſtar, absorbent arrectis auribus sermones omnes et murmura, quae inter priuatos parietes eduntur, quae, ut hauerunt, ita effundunt atque principi reddunt. Alii quoque nimis ad suspicionem proclives, signorum sanctitatem violent, litteras priuatorum, cursui publico traditas atque demandatas, aperiunt, euoluunt, et turpiter curiosi ea cognoscere fludent, quae rem domesticam atque familiarem priuatorum, commercium cum exteris, et confabulationes inter amicos attinent. Hi quidem via incerta et minus secura, maiestate prorsus indigna, incedere videntur. Ut vero accurata et satis certa cognitio eorum, quae scire supremae inspectionis interest, omni tempore perueniat ad superiorem reipublicae, alio modo et esse curandum, et posse curari, exemplis sat multis historia docet. Neminem enim fugiet, quae fuerit apud Romanos censoris potestas

potesias in ciuium mōres inquirendi, eosque corrigendi, atque emendandi. Hi nimurum censu quotannis habito, ciues conuocabant, vt de bonis, redditibus, sumtibus, moribus, vitae atque rei familiaris genere rationes redderent diligentes et satis accuratas. Cum enim Romani reipublicae salutem ex singulorum ciuium salute aestimandam esse censerent, salutari hoc instituto, quid quoquis tempore respublica valeret nec ne, absque nimia singulorum molestia, percipi posse putauerunt, et profecto percepérunt. Eadem fere utilitatem maiores nostri Germani ex morum iudiciis, quae *Rügengerichte* appellabantur, sunt consecuti, in quibus unusquisque et sui ipsius, et vicinorum conditio nem atque rei familiaris rationem indicare solebat. Nec recentior nostra actas eiusmodi institutis, saluti publicae utilissimis, omnino careat. Constat enim inter omnes, Christianum VII. Daniae regem a. 1769. lege sapientissima sanxisse, atque statuisse, vt subditi quotannis de aetate, re familiari, et vita genere publice judices certiores facerent. Quibus quidem institutis facillimo modo effici potest, vt superior reipublicae non solum certam atque claram cognitionem consequatur eorum, quae supremam inspectionem scire fas est, verum etiam impeditatur, quo minus iure suo eminente abuti possit. Nec fortasse alienum esset ab homine de reipublicae salute sollicito, cum SCHEIDEMANTELIO \*) et aliis, quibus communis omnium utilitas cordi est, pluri hoc pectori souere desiderium, vt et reliqui ciuitatum processores haec velint exempla imitari, et simili modo reipublicae rationibus consulere.

### §. X.

#### *Mysteriorum defensio.*

Haec quasi generalia praemittenda nobis visa sunt, quibus tractatis eo facilius commodiusque absoluere possemus ea, quae de societatis

\*) SCHEIDEMANTEL c. I. Th. I.



tatibus occultis et arcanis nobis essent dicenda. \*) Possunt quoque praemissa hanc lectori praebere utilitatem, ut sciat, et quibus fundamentis nostra sententia nitatur, et quam sumus in meditando viam ingressi. Ut vero iustum in tractando ordinem seruemus, primum in eo neminem dissentientem habere censemus, propositum esse posse societati cuidam tale consilium, quocum mysterium ex necessaria legem tam arte sit nexus, ut de sine assequendo omnino sit desperandum, si velo levato reliqui omnes cognoscere possint, quid geratur. De his si qui forte dubitant, cogitent modo interiora et secreta principum scrinia, quae tam inuidia cura custodiuntur, ne quid ex iis in publicum prodeat. Nec, quae occulte tradantur, semper sunt noxia atque iniqua putanda. Solet quidem hoc saepius ab aduersariis mos veri, ut dicant, maxime suspectam esse rem, quae tenebris testa, sub denso mysterii velo celatur, nee boni quid iis inesse censer possit, quae quasi noctis vmbra testa, diei lucem horrere videntur; praesertim cum aequitas suadeat, ea omnibus indicare, et omnium adspectui aperire, quae utilitatis vel commodi quid saluti hominum possint praebere. Hoc qui argumento nituntur, videant, ne iudicio nimis fessilato in talem ruant sententiam, de qua aliquando debeant erubescere. Constat enim, illustrissimas antiquitatis gentes, Egyptios, Persas, Graecos, aliasque hoc praesertim mysteriis suis debuisse, quod reliquos populos artium et ingenii cultura anteirent. \*\*) Notum quoque est, sapientissimos viros se eorum arcanis initiandos praebuisse, et summos veterum philosophos atque scriptores Pythagoram, Iosocratem, Plutarchum, Ciceronem, Senecam etc. ea sacra maxime coluisse, \*\*\*) et in iis summum putasse receptaculum esse, quo do-

ctrina

\*) De societatibus occultis et arcanis commendatio egregia reperitur, in SCHLÖZERS *Staatsanzeigen* Heft 31.

\*\*) CIC. de leg. L. II. c. 14.

\*\*\*) CIC. Tuscul. Quaest. I. I. c. 12. 13, et idem in Fragmentis opp. T. IV. p. 60. 61. Edit. Ernestin.

Crux sapientiae, ab irruente barbarorum inhumanitate tutu lateret,  
 et incolumis seruaretur. Non enim omnia, quae per se quidem bona  
 et laudanda sunt, ita sunt comparata, ut omnibus omni tempore sint  
 utilia. Fortasse non a veritate aberrant ii, qui, vti veterum, ita  
 quoque recentiorum mysteriorum hanc singunt esse naturam, vt ea  
 sententias quasdam et cogitata summorum philosophorum singularia  
 atque egregia continere censemant, quae cum ita sint comparata, ut  
 non statim ab unoquoque possint percipi, velo tecla, symbolis in-  
 voluta, sensim sensimque tradenda, et cum reliquis communicanda  
 sunt. Etsi vero horum non eam existimamus esse naturam; ut a  
 profano plane non intelligi possint, tamen ob hanc causam eos non  
 taxandos esse censemus, qui singulari cura haec seruare, et ab obli-  
 vionis iniuria vindicare student. Discendi enim nullus debet esse  
 nec modus nec finis, neque philosophum etsi prudentissimum tam  
 sapientem nobis fingeret possumus, quin possit vel noua discere, vel  
 iam cognita sub noua forma intueri. Possunt vero singi res, quarum  
 ea est natura ac indoles, vt magna sit ex cauto earum usu speranda  
 utilitas, quae per temerariam diuulgationem vel omnino periret, vel  
 in abusum potius noxiun atque perniciosum abiret. Ita quidem alchi-  
 mistae, (si paululum temerariae illorum opinioni nobis indulgere  
 licet, a qua, etsi tot doctissimorum virorum scriptis, et ipsa vere  
 quotidiana experientia meliora docti, nondum tamen omnes animum  
 retrahere sibi temperare potuerunt, quin iis artem aurum efficiendi  
 tribuerent,) si hac arte vere gauderent, profecto pessime consulerent  
 et reipublicae et singulorum saluti, si omnes arcana sua docerent.  
 Cum enim nostrae reipublicae forma ita sit comparata, ut omnia auri  
 pondere aestimentur, omnis vero auri valor ex eius raritate pendere  
 videatur, sumiam certo omnis reipublicae turbam atque ruinam, e-  
 nimis diuulgata aurum efficiendi arte esse metuendam, qui neget ne-  
 mo erit. Aut quaeſo quis Christianos reprehendat, eosque sceleris et



flagitiis accuset, qui priinis temporibus occulte conuenire, et sacra sua, quae usque ad Constantiū M. non solum priuato mysteriorum odio, verum etiam imperatorum et regum vexationibus premebantur, paganorum et Iudaeorum oculis celare et non nisi inauguratis aperire solebant? Inde quidem apparet, sub nube ac velo non semper flagitia latere, nec qui occulte agit, semper male agere. Itaque ex societatibus, quae ea lege conueniunt, ut neque finem sibi proposirum, neque internam congregacionis naturam atque disciplinam in publicum prodire sinant, vt e reliquis omnibus in ciuitate conditis societatibus, tantum utilitatis quantum pernicie ac detrimenti reipublicae enasceri potest. Imo vero neminem ita ab aequitate alienum esse putamus, vt ignorare velit, magna saepius commoda ex arcenis societatibus ad reipublicam redundasse. Non solum enim variis laude dignis institutis optime saepius ac praecclare de hominum salute sum meritae, quibus vel pauperium egestati, vel puerorum educationi, vel alius generis necessitatibus subuenerunt; verum etiam iis in primis debetur, quod nostra aetas tolerantia, humanitate, mansuetudine, morum ingenique cultura caeteris praeflet. Etsi vero haec alio for-  
tasse modo impetrari potuissent, sociorum tamen familiaritas et mutua consuetudo id in primis efficiunt, ut, qui auctoritatis, diuinitarum, dignitatum, ordinumque discriminē maxime inter se distare videntur, interdum ab omni metu et dissimulatione soluti moneantur, homines se esse a natura aequales procreatōs.

### §. XI.

*Quantum scire competit principi de societatum occularum rationibus.*

Supra iam demonstrauimus, ius supremae inspectionis hanc tantummodo superiori ciuitatis tribuere potestatem, ut possit inquirere in ea, quae aliquo modo spectant finem atque salutem reipublicae, reliqua

reliqua vero, quae hue non pertinent, neutquam subesse inspectioni  
 supremae. Competit itaque principi scire atque examinare, an societa-  
 tes occultum suum colentes, aliquid contineant, quod vergat in ra-  
 tiones ciuitatis. De eo ut certior fiat, omni modo euret, ideoque  
 societati quaestiones omnes hic spectantes proponat, necesse est, quas  
 quidem quaestiones neque possunt declinare, neque facile declinabunt  
 socii, nisi improbitatis aut nequitiae sibi sint consci. Cum vero  
 eiusmodi societas in eo discedant a reliquis, ut tantum ea indicare  
 possint, quae non sint, neutquam vero ea, quae sint, et principi  
 omnino abnegandum sit ius inquirendi in arcana et mysteria carum,  
 quae reipublicae salutem non tangunt, oritur exinde incommodum  
 admodum graue, et valde molestum iis, qui paulo ad suspicionem  
 propensiores, in iis non facile acquiescere solent, quae non penitus  
 perspecta habent. Dicunt enim, superiorum ciuitatis de salute pu-  
 blica sollicitum, non posse acquiescere in eo, quod tantummodo  
 scientiam negatiuam (vti appellare solent) eiusmodi societatis sit con-  
 secutus, quae ei notionem nec satis claram ac perspicuam, nec ab  
 omni suspicione vacuam praebeat. Cui quidem incommodo ut ali-  
 quo modo occurrit, volunt, arcana societatis silentii sigillo munita,  
 soli principi ita tradi, ut neminem eorum faciat partcipem, et  
 sub eadem lege aliquando successori relinquit. Vix est, quod refel-  
 lendo huic consilio immoremur, nam et si aliam fortasse verbis signifi-  
 cationem tribuere studeant, re ipsa tamen nihil aliud volunt, quam  
 ut princeps accedit societati, eiusque membrum fiat. Qui enim sub  
 silentii lege mysteria societatis arcanae sibi mandari cupit, quid aliud  
 cupit, quam ut iura membrorum sub eadem obligatione sibi tribuan-  
 tur, sub qua societatis natura hoc permittit. Quo vero alio modo  
 arcana societatis principi ita tradi possint, ut porro maneant arcana,  
 nec ego video, nec consilii illius autores videre censeo. Cum vero  
 de suprema inspectione nobis sit sermo, parum curamus, quae possit



princeps tanquam priuatus scire aut cognoscere; de eo modo loquimur, quod superiori ciuitatis, qua tali, inspicere atque examinare competit. Iam vero, et si nos haud ignoremus, varios esse atque permultos in vnaquaque ciuitate singulorum ciuium conuentus, coetus, atque societates, quae vel ad voluptatem ex amicorum consuetudine percipiendam, vel ad alium qualemque finem consequendum frequentantur, quarum nec naturam nec leges cognouerit princeps, ita quidem, vt vix sciat eas adesse, tamen non ea animum tenet sententia, vt putemus, principem iure cogi posse in cognitione negatiua acquiescere, et societatem tolerare, de cuius natura, indole et legibus praeter hoc, quid non sit, nihil scire queat. Hoc enim principis arbitrio relinquendum censemus, cui fidem habere velit, nec ne, et denegantes ei potestate vi extorquendi mysteria priuatorum, neutquam tamen vsque adeo eius iura coercere conatur, vt ei libertatem eripiamus, eiusmodi societatem tollendi, et e ciuitate pellendi, quae arcana souet. Substant enim omnes societas ciuitati, eiusque principi, ita quidem, vt eas quoque tollere possit, quas utiles et reipublicae saluti maxime accommodatas esse cognouerit. An vero bene consulat ciuitatis commodo, si hac sibi competente potestate vti velit princeps, longe alia quaestio est. Sunt vero, qui societati occultum finem colenti nullam omnino fidem tribuendam censemant, ideoque principes diligenter adhortari soleant, vt nullis eius assertiobibus decipiendos se praebant, ne ex ea malum, nunc quidem occulte repens, at reperendo crescens, tale aliquando emergat, cui nulla vi amplius resisti possit, et quod omnam reipublicae salutem flebili ruina tegat. Iam vero princeps, qui tam ad suspicionem proclivis est, vt hanc opinionem animo insidere patiatur, profecto male se reipublicae rationibus consulere censembit, si eiusmodi societatem in ciuitate toleret, nec nos quidem eum, et si vano metu deceptum, re-

pre-

prehendere, aut impedire cupimus, quo minus id agat, quod reipublicae se debere censet.

### §. XII.

#### *Quibus auxiliis ad ea cognoscenda videntur.*

Ab his vero longe differunt ea, quae prudentia suadet, non enim semper, qui iure suo agit, prudeat agit. Hic quidem bene notanda regula illa, quam supra (§. VIII.) indicauimus, ne suprema inspectio iis magis inveniatur, quae possunt fieri, quam iis quae vere sunt. Si enim usque adeo suspicioni et vano spectrorum metui indulendum esset, ut omnia ea tollerentur et e ciuitate excluderentur, quae abusu possent nocere, nulla prefecto in omni republica instituta bona atque salubria amplius possent tolerari, quid quod ipsa religio praeprimis pellenda esset, ex cuius peruerso studio rixae faciūs, et bella cruenta sunt orta, quae omnem tam reipublicae, quam priuatorum salutem turbarunt. Itaque hic, quod iure licet, id minus suadet politica atque prudentia. Cuius quidem praecepta superiorem ciuitatis impediunt, quo minus societatem arcanam ob hanc unam causam tollat, quoniam eius mysteria ipsi occulta sunt atque ignota. Videtur vero princeps optime rebus suis consulere et munere sibi mandato fungitum, cum mysteriorum et arcanorum curam omnino a se alienam putat, ita ut ea neque promouenda neque impedienda a te esse censeat. Vti enim in Singulis ita quoque in societatibus iniquum esset, malum atque perniciosum putare id, quod tale se nunquam praestitit. Quam vero ad aestimandam et diiudicandam eiusmodi societatis utilitatem non aptam satis et sufficientem praebent occasionem, quaestiones ipsi a principe propositae, eam attenta factorum eius externorum obseruat, et rerum in publicum prouidentium diligenter institutum examen, offerunt. Non enim omnia, quae in commercio multorum versantur, eis si satis occulte negligantur, ita semper



per nube veloque tegi et celari possunt, ut non interdum aliquid lumenis, quasi e rima, exeat, e quo colligi possit, vtrum aliquid subsit, quod vergat in reipublicae rationes. Haec quidem non facile elabi possunt supremae inspectioni, omnia diligenter cauteque circumspiciunt; quod qui negant, existimare videntur, proceres imperii aliquando non ita vigilantes esse futuros, quales esse eos oportet. Reslat aliud adiumentum, idque minus dubium, repetitum ex aestimatione atque consideratione membrorum, quorum habitus diligenter examinandus, et quis sit, et qualis. Optime enim quisque noscitur ex socio, nec qui sclera et flagitia pectori premit, facile conspicitur in commercio et consuetudine proborum. Etsi enim ita ferat humanarum rerum imbecillitas, ut non semper animus eorum penitus perspici possit, quibuscum est coniunctio seruanda, nec optimus quisque omnino et semper abstinere possit ab improborum familiaritate, quorum calliditate, fraude atque simulatione interdum fallitur; tamen, vt vix ac ne vix quidem bonus praesumendus, qui improborum tantum familiaritate vtitur, ita vix malus, qui optimorum atque probissimum virorum consuetudine delectatur. Itaque societas, quarum coetus viros morum vitaque integritate commendatos interesse non pudet, mali quid continere, vix quispiam potest opinari. Quae enim virtutis, bonis moribus, probitat et reipublicae saluti aduersa esse censentur, ab iis probus et optimus quisque longe alienus erit, iisque se immiscere et operam studiaque sua dicare erubescet. Quae vero societas ita sunt comparatae, vt eos praesertim sibi socios elegisse videantur, quibus integræ famae studium non magnopere cordi est, ita, vt magis coniurationis speciem præ se ferant, quam optimus quisque tamquam morbum contagiosum fugit, atque detestatur, de his profecto parum boni sperandum. Non vero ex uno alteroue membro omnis societas diiudicanda. Solet enim et fanae gregi interdum interesse scabiosa ouis. Nec ipse quidem christianorum hominum coetus, et si summa

summa religionis nostrae cura est in moribus emendandis et vitae ratione formanda, a sceleratis omnino vacuus est, quorum flagitia, et si iis haud raro religionis sanctitas polluatur, neutquam tamen ei opprobrio esse possunt. Itaque, quo plures viri morum integritate conspicui eiusmodi societati intersint, et quo maiori studio tales viri eam colant atque venerentur, eo plus utilitatis ex eius studiis sperandum, et eo magis promptus atque paratus esse debet princeps ad eam defendendam et sustinendam. Ad id vero semper animum attendat necesse est, ne variae societates infectionis atque vexationis studio incendantur, eoque vel in se inuicem vel in profanos faciunt. Usque adeo vero earum libertati indulgendum, ut aemulatione inter se certare, verbis scriptisue vitia vituperare, et mansueta reprehensione et admonitione se inuicem corrigere et emendare possint.

### §. XIII.

*Quid faciendum, si constat societatem esse reipublicae noxiām.*

His quidem indiciis si princeps de societate arcanum finem habente certior factus est, eius instituta, finem atque naturam esse rationibus ciuitatis aduersam sive noxiām, profecto eam diutius tollere neque aequitas fuit, neque prudentia patitur, imo tollere eam, atque finibus ciuitatis expellere, omnino politica suadet. Quae enim ad ciuium mores deprauandos, ad sanas rationis culturam impedierandam, et ad vitia qualiacunque propaganda, apta videntur esse atque idonea, ea omnia saluti ac fini reipublicae aduersa, et omni modo supprimenda sunt. \*) His accensendi ii, qui animo insectandi, et vexandi furore agitantur, hi enim a tolerantia, et ipsa humanitate prorsus alieni. \*\*) Quodsi ergo constat, eiusmodi societatem tale quid

\*) GVNDLING I. N. c. XXXVI. §. 85.

\*\*) GVNDLING. c. l. §. 89.



quid moliri, hercule prorsus indigna est quae toleretur. Nemo ergo principes illos taxandos aut vituperandos esse concebit, qui societas eorum e ciuitatibus eiecerunt, qui vel magiae, vel aurum efficiendi aut incumbeant, et de quibus constabat, his nugis non solum bona sociorum dissipari et rem familiarem omnino perdi, verum etiam ipsam fanae mentis rationem destrui. In eo in primis eluet principis bene de salute ciuitatis meriti prudentia atque sapientia, quod iis ciuium coniunctionibus, quas manifestum est, esse reipublicae rationibus adversas, remedii semper saluberrimis occurrat, quibus instans malum vel declinari et coerceri vel in utilitate conuersti possit. Est vero et hic modus tenendus, ne male reipublicae consulatur. Sunt enim congregations atque societas, quae non recta via ducunt in perniciem, sed sua natura innocentes et minus vituperabiles detimenti tantummodo occasionem praebent, bene distinguendae a coniunctionibus et conspirationibus illis, quibus haec prima lex est, vt reipublicae salutem ac tranquillitatem turbent, atque subuertant, legumque sanctitati illudant. Contra has summa iustitiae seueritate ac rigore agendum, vt, qui leges spernere videbantur, earum vi coerceantur; \*) contra illas vero, non ita. Quamobrem primum danda opera est, ne vlla eiusmodi societatum conuenticula in ciuitate celebrentur: quodsi vero tale quid euenerit, vt illicita potius, et legibus oppresla atque extincta videantur. Cauendum vero est, ne qui sint, qui harum societatum, in vicina forte terra toleratarum coniunctione teneantur, et earum rationes promouere studeant. Singulos vero, qui earum conuenticula antea frequentauerunt, princeps iubeat his absinere, qui tamen si iussu parere non dubitabunt, ferendi sunt. Non enim poenis mulctisque puniendus, qui magis deceptus esse, quam decipere videtur, nec hoc effici potest, vt, qui semel inauguratus arcana et mysteria societatis delibauerit, in posterum ea ignoret, aut obli-

\*) vid, l. 5. C. de legib. et l. 3 ff. de Coll. et corp. et MARTINI c. l.

vioni mandet: Mysteriorum vero proditionem vel blanditiis elicere, vel vi extorquere, neque aequitas patitur, neque prudentia suadet. Sufficit, ab eo morbo tabeque ciuitatem esse puram atque sanatam. Qui vero a reliquorum sociorum commercio nec vult abstinere, nec potest discedere, is iure eiendiud et in exilium pellendus, non enim eum, qui legibus et principiis iussi parere recusat, ciuitas debet tollare. Possunt vero illi, cui suauius visum est patriam relinquere, quam sociorum coniunctionem deficerere, omnia ea iura, quae iis competunt, qui ob hanc vel illam reipublicae urgentem necessitatem e ciuitate emigrare coguntur, minime negari, nec iis, quae leges emigrantibus permittunt, est priuandus, nisi vel inobedientia, vel alio quoconque facinore iis indignum se reddiderit.

## §. XIV.

*Si societas non quidem aperte noxia, tamen valde suspicita.*

Iam vero, si res ita se habet, vt, et si certi nihil, dubii tamen atque ambigui permultum ex arcanarum societatum studiis eluceat, quod suspicionem haud leuem possit mouere, esse iis finem non omnino laudabilem, tum cautius leniusque versari prudentia suadet. Sunt vero causae, quae animum quoque constantem et firmum nec nimis ad suspicionem propensum, possint mouere atque angere, variae et multiplices. Praeprimis suspecta est ea societas, quae socios sibi soli proprios ab omni ciuitatis, familiae, et amicorum commercio solutos, non nisi ipsis rectoribus atque gubernatoribus subiectos esse et sic statum in statu condere vult. Quod quidem consilium olim ordinem illum, qui Societatis Iesu nomen habuit, cepisse, vix potest dubitari. Resstant vero causae suspicionis plures. Si enim socii ex sordida vili- que ciuium plebe sunt electi; si viros morum integritate conspicuos eorum commercio interesse pudet; si optimus quisque eorum conuenticula frequentare alienum a se esse putat; si, qui imprudentes iis accessere, morum famaeque integritatem non amplius feruant; si omnis

D 2

societas



societas legum severitatem aegre fert, aut principum iessui obedire recusat; si tandem, quae religio, pietas, temperantia, constantia, humanitas, morum integritas, diuinarum atque humanarum rerum sanctitas postulat atque commendat, non ita, ut debent, sancta videntur esse membris societatis, tunc profecto, qui boni parum aut nihil ei inesse suspicatur, vix ac ne vix quidem a veritate aberrasse potest censeri. Nec tamen hic eadem severitas adhibenda, atque ubi malum manifestum appetit, potest enim vel ex rei abuso, vel ex singulorum membrorum nequitia, ortum ducere id, quod ipsi societatis naturae et fini adhaerere videtur. Itaque ubi certi nihil, suspicionis vero haud leuis occasio adeat, ibi profecto princeps iure potest id vrgere, ut occultae societatis rationes catenus aperiantur, eiusque iudicio subiificantur, quatenus ad dissipandam et resellendam ancipitem opinionem in vulgus editam necessarium est. Non quidem ipsa mysteriorum profanatio postulanda, sed eorum purgatio et defensio exigenda, et poscendum est, ut doceatur, omnia ea, quae societati obiciuntur, eius fini atque naturae minime adhaerere. Quod vero, si societas efficere neque possit neque velit, iis accensenda est, de quarum prauitate constat. At vero, si satis clare potest doceri atque demonstrari, naturam, finem, et internam societatis rationem omnino puram esse ab omnibus iis, quae reprehensioni atque suspicioni occasionem praebuerunt, eiusque indoli nihil communie esse cum iis, quae vel ex improbo mysteriorum abuso, vel ex privata singulorum membrorum nequitia orta sunt, tunc vix severitati, potius vero lenitati locus esse videtur. Abrogandi potius abusus, corrigendi mores praui, emendandi aut excludendi socii indigni, absurgendae maculae, restituenda fides, fama, integritas, hisque omnis societatis forma purgata, atque transformata, limitibus ita circumscribenda, adeoque coercenda, ut non facile talis depravatio in posterum sit metuenda, imo vero ex redintegrata eius conditione optimum quodque sperandum.

§. XV.

## §. XV.

*Si detrimenti nihil afferre videtur.*

Haec enim quidem de arcanarum societatum conatibus hunc in modum locuti sumus, ut eos reipublicae rationibus vel manifesto noxiis, vel periculosos esse fingeremus; iam vero, ne iniuriam iis facere videamur, paullo amoeniore colore eos depingendos censemus. Cum itaque ea est societatis arcanae ratio, ut neque detrimentum aliquod ex ea iure metui, neque periculi illa suspicio ori possit, neque eius finis villo modo reipublicae saluti aut commodo aduersus esse videatur, tum quoque ab omnibus iis, quae impedimenti atque restrictio- nis causa adhiberi solent, omnino absinendum, nec principem illum vituperandum aut incuriae accusandum arbitror, qui in eo subsistit, seque continet, ut has societas diligenter ubique obseruet, et ad earum conatus animum semper vigilantem attendat. Quae enim nulla ex parte societatis civilis finem et commodum reipublicae tangunt, ea a supremae inspectionis eura exclusa esse, supra (§. VII.) demonstrauimus. Gaudet tum quidem societas omnibus illis iuribus atque commodis, quibus hominem eruditum aut artificem, occultas artes priuato studio prosequentem, ornatum instructumque esse vult sequiras. Eiusmodi societas, quo iure impediri possit, quo minus arcana sua occulto studio colat, et omnem internam formam atque institutionem fini sibi proposito accommodet, non video. Quibus enim neque reipublicae salus, neque communis omnium securitas, neque ius alius laeditur, ea omnia cuiuscunque arbitrio relinquere libertas naturalis suadet, cui etiam in ciuitate, quantum fieri potest, omnino indulgendum est. In eo enim summa cognoscitur principis prudentia, ut sciat, et quid agendum et quo tempore, et ut sapienter quiescat tum, cum melius visum fuerit, nihil fieri.

D 31 1. JUNI 1742 §. XVI.


 §. XVI.

*Si commodum et salutem reipublicae auget?*

Restat, ut paululum adhuc illis immoremur societatibus, ex quarum occultis laboribus, ut detrimentum aliquid oriatur tantum abest, ut potius commoda magna et permulta promanare videantur. Si enim diligente eiusmodi societatis obseruatione princeps competum habeat, esse eam in eligendis fociis admodum difficultem, ita, ut prauos a communione sua vel omnino arceat, vel aegre ferat, si viri morum atque vitae integritate conspicui ei interesse honori sibi ducent, si, qui ciuitati maxime praesidio atque ornamento sunt, eiusmodi societati nomen dare, eiusque membra haberi non erubescant, si ipsa societas, multis laude dignis institutis optime saepe ac praecellere de communi salute merita sit, si denique omnis eius natura atque idoles cum fine reipublicae conuenire, eiusque rationibus praesidio atque decori esse videatur, tum profecto, eam paeprimis tolerare et conatus eius laudabiles atque commendabiles suslentare, maxime suadet prudentia reipublicae administrandae, cum ex meritorum remuneratione, et utilium ciuium suslentatione multum redundet et utilitatis in rempublicam et delectationis in principem. In toleranda vero eiusmodi societate ita versandum, ut nulla omnino ratio habeatur mysteriorum eius et arcanorum, quae eti bona praesumenda, neutriquam tamen promouenda et fouenda sunt. Caveat enim princeps necesse est, ne incerta via ingrediatur, cum sufficiat nihil fieri ad impediendam societatem. Quae vero societas ita est instructa, ut finem reipublicae et salutem humani generis augeat, ea iure praesumi potest, esse tacito principis consensu probata, ita quidem, ut vel absque expressa confirmatione illicita non sit habenda. \*) Cum enim superior ciuitatis id semper debeat curare, ut reipublicae salus augetur atque promouetur, appetat, cum semper debere alienum a se existimare,

eos

\*) SCHEIDEMANTEL c. I. Th. III. pag. 244.

eos premere, arcere, aut impedire, qui eandem curram sibi cordi esse demonstrant. Male itaque consuleret salutis communis, qui societatem bene de ciuitate meritam et adhuc merentem, hanc ob causam tolerare recusaret, quia haberet, quae sibi propria ac peculiaria esse vellent, et quae cum reliquis communicare nollet. Nam haec fortasse ita sunt comparata, ut manifestata vel omnino pereant, vel in malum conuertantur. Haec quidem principia summos atque sapientissimos recentiorum temporum principes sibi proposita habere valde laetor. Non solum enim in arcanarum societatum, quarum numerus in dies crescit, gubernatione ita versantur, vt, quas noxias et minus salutares vel reipublicae vel singulorum rationibus esse sentiant, tollant, eoque subditorum felicitatem securam reddant, verum etiam eas, ex quarum conatibus plus utilitatis quam detrimenti præmanare videatur, vel tacito consensu tolerent, vel singularibus priuilegiis exornent. Hoc quidem fata arcanae illius satis illustris societatis, quae vulgo libero-rum murariorum nomine (*Freymäurer-Orden*) appellari solet, aperte demonstrant, cuius variis et degeneratibus familiis, varia quoque hinc inde fors euenit. Cum enim omnis eorum societas propter tot in hominum genus merita, tantaque laudabilia instituta, digna plurimis principibus visa esset, quae toleretur, eas tamen eius familias, quae a pristina morum integritate aberrarant, pellendas censuerunt, quae vero non ita degenerauerant, iis melior fortuna contigit. Ita quidem nuper me legere memini, Imperatorem lege sanxit, vt huic societati liceret in unaquaque vrbe tria collegia habere. Morum enim mentis, atque intelligentiae culturæ, quae nostra aetate maior est, quam olim fuit, debetur in primis haec saeculi nostri felicitas, quod proceres magis sint ad tolerantiam propensi, nec rogum incendant iis, qui mysteria sibi peculiaria esse volunt.

## COROL.

ibico ubi natus in hunc ius, cibisunt ius, cibis, ergo ius  
cibis ut in iustitia habet cibis ut in iustitia cibis  
cibus dicitur, iustitia dicitur in iustitia est iustitia cibus  
est iustitia in iustitia fiducia p. cibis non cibus est iustitia  
cibus est iustitia.

### COROLLARIA.

*Competit principi ius expellendi ciues, minime vero transplantandi.*

*Poenae capitales in republica bene constituta necessariae sunt.*

*Omnis virtus presupponit occasionem ad vilia perpetrandam.*

Ki 1564


(X 2580.263)

Retro 17.8.00

KD 17  
KD 18

W





59  
DE  
SIEFFERGEGTSCHE  
SVPREMA IN SOCIETATES OCCVLTAS  
PRVDENTER EXERCENDA  
COMMENTATIO POLITICA

---

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
D. XXVII. MENSIS MAI MDCCCLXXXVI.  
PVBLINE DEFENDENT  
M. IOANN. AVGUST. OTTO GEHLER  
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS  
ET  
GOTTHEIL. CHRIST. GRENZ  
DRESDANVS  
LEGVM CVLTOR.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA IACOBAEERORVM.

